Carmen Henrici Bebelij de Juſtingen ad iuuenes vt tempore iuuentutis diſcant.

Diſce bonas artes iuuenis ſuadente minerua
Dum non maxillas hiſpida barba tegat
Inſtrue nunc mentem ſtudijs dum floreat ętas
Jam veniet volucri pigra ſenecta pede
Ingenium rapit hęc feruens animumq; capacem
Hęc rapit ⁊ formam ⁊ corporis omne decus
Deturpat nitidos crines rugaſq; ſeniles
Inducit: nobis nil niſi triſte ferens
Candida nonne vides ſurgunt nunc lilia campi:
Surgit in hamatis nunc roſa pulchra rubis
Quę peritura breui bruma torpente rigeſcunt
Tempus edax celeri ſic pede cuncta vorat
Nec tibi conceſſum eſt anno ſi more colubri
Annos ⁊ veterem depoſuiſſe cutem
Nec tibi cornicis cerui aut ſpacioſa vetuſtas
Eſt data: nec viues tempora neſtoria
Sed tua vita cito tranſit ceu lilia campi
Nec quę pręterijt hora redire poteſt
Ergo frequens diſcas ſophię pulcherrima dona
Ex his poſt cineres candida fama venit
Singula nam pereunt: vulgus quę ducit opima
Et color ⁊ facies forma decore nitens
Diuitię veſtes phrygijs innixa columnis
Atria tranſibunt durat in orbe nihil
Sola mori ſpernunt muſarum ⁊ dona mineruę:
Atq; his poſt tumulum gloria maior erit.

τελος

VIGINTI QUATTUOR LITTERE GRECORUM.

a	b vel v	g	d	e	z	i longum	th
α	β	γ	δ	ε	ζ	η	θ

i breue	k	l	m	n	x	o breue	p	r
ι	κ	λ	μ	ν	ξ	ο	π	ρ

s	t	y	phi	chi	pſi	o longum
σ	τ	υ	φ	χ	ψ	ω

SEX DIPHTONGI GRAECAE

AE	AV lege af	EV lege ef	E	I	V
αι	αυ	ευ	ει	οι	ου

In Grāmaticam Bebelianam Decatoſtycon
Thomę Aucupari Argentinenſis

Ingenij teneris meliora infundere venis
Dogmata grāmatices: tempora noſtra fauent
Eloquij ⁊ rudimenta aliter prębere iuuentę
Quam noſtri pueros inſtituere patres
Munere calcographo librorum copia tanta
Quum data ſit: decet hos nobiliora ſequi
Romanos lingue priſcos aſſumere honores
Ut ſcopulos fugere ⁊ barba cuncta maris
Scrip a imitanda igitur pueris vel quę fugienda
Sunt: hęc Bebelij grammata culta docent